



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

8. Dudum prout &c. Ad Philippum Pulchrum de tractatu cum Republica
Venetâ pro Imperio Constantinopolitano pro Carolo ipsius Philippi Fratrem
obtinendo: anno 1307.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1307.

videlicet quod aliquam solemnem personam ad Electores eisdem vel procuratores ipsorum, die quæ pro habendo tractatu super electione præfata convenire videbatur, infimul mitteremus; respondimus, & adhuc Celsitudini tuæ respondemus, quod de hujusmodi persona, quæ tibi grata & fidelis existat, de qua tu plenior, quàm nos, poteris habere notitiam, cogites diligenter, tuamque super hoc nobis retribas plenarie voluntatem, cum juxta votum tuum ad electores eisdem destinare personam hujusmodi proponamus. Supplicaverunt nobis insuper ex parte magnitudinis tuæ, Canonicus & Miles præfati, ut dilecto filio, nobili viro, *Comiti Luceburgenfi*, pro hujusmodi promotione negotii per nostras Litteras scriberemus; quibus ad hæc duximus respondendum: quòd cum præfatus *Archiepiscopus Treverensis, dicti Comitis frater, ipseque Comes pro sua promotione ad regnum prædictum*, apud nos devotis supplicationibus institissent, ac idem Comes tibi fidelis existat; magis videbatur expediens, quòd tu eundem Comitem super hoc requireres per litteras tuas cum instantia opportuna. Præterea cum præfati Canonicus & Miles nobis supplicarent, quòd dicto *Archiepiscopo Maguntinensi, ne ad Coronationem dilecti filii, nobilis viri; ducis Carinthia, qui se gerit pro Rege Bohemia, procederet, donec esset ipse Regis Romanorum electio celebrata*, per nostras litteras scriberemus; eisdem duximus respondeadum; quòd nobis, qui sumus omnibus in justitia debitores, non videbatur congruum rationi, quòd nullo conquerente de ipso, ad ejus impeditionem honoris procederemus aliquatenus ex abrupto. Cæterum die Sabbati præterita apud Reulam Vacensentis Diocesis existentes per nuncium ex parte regia nobis missum, qui cum Litteris tuis, continentibus adventum venerabilis fratris nostri Arnaldi Episcopi Pictavenensis ad tui præsentiam, quam ex certis causis retinueras & petebas per nos excusatum haberi, inibi ad nos venit; litteras dilecti filii nobilis viri *Joannis Ducis Saxonia* recepimus, quas tibi mittimus præsentibus interclusas, ut ea, quæ ipsæ continent, plenè valeas intueri. Datum apud Cadelhacum Burdegalenensis Diocesis, Calend. Octobris, Pontificatus nostri anno tertio, sub plumbo cum cordula canapis.

VIII.
Ex Cod.
Dipl. Leibnizii
Tom. II.
pag. 243.
Mant.

Ad Philippum Pulchrum de tractatu cum Republica Venetâ pro Imperio Constantinopolitano pro Carolo ipsius Philippi Fratre obtinendo: anno 1307.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus servorum Dei carissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum Illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Dudum prout celsitudo regia non ignorat, dilectis filiis... Duci, Consilio & communi Ventiarum, quòd dilecto filio, nobili viro Carolo, *Comiti Andegavensi, germano tuo* ad juramentum præstandum super certis conventionibus & pactis inter eundem Comitem & ipsos Ducem, Consilium & commune initis, occasione negotii imperii Constantinopolitani, usque ad Calend. februarii tunc proximè venturi terminum prorogarent, per litteras nostras preces & monita porreximus efficacia; ad quæ Dox

ipse per suas nobis respondit litteras, sicut in eis, quas tibi mittimus Litteras præsentibus interclusas, poteris intueri, quarum etiam copiam prædicto Comiti destinamus. Præterea non credimus à tua memoria recessisse, quatenus dum Pictavis residentiam faceremus præsentibus dilectis filiis, nobilibus viris, Ludovico fratre tuo, Ebroicensi ac Sancti Pauli Comitibus, Constabulario Franciæ & Ignorammo Cambellano tuo aliqua *super negotio ejusdem imperii sub magno sigillo facta* exponi per ipsum Ingeramum reciti oretenus coram nobis, pro quibus eras tuos speciales nuncios, qui per nos debebant transitum facere ad aliquos magnos Principes, transmissurus. Super quo, quia nihil super hoc audivimus, postmodum admiramur. Quare tuo & ejusdem Comitum Andegavensis honori convenire videtur, dictoque negotio expedire, quòd ea, quæ tunc, ut prædicatur, dicta fuerunt, ad effectum debitum perducantur & quia secreta ipsa non committeremus libenter alicui referenda, vel exprimeremus litteris, nisi de tua procederet voluntate, tibi, licet forsitan ex superabundanti, ad memoriam reducimus, magnitudini tuæ tunc temporis respondisse, quòd ex infusione Spiritus Sancti ex tuis præcordiis, ut videbatur, extiterant inspirata. Cæterum litteras dilecti filii nobilis viri *Rudolfi Ducis Bavaria*, per quas de negotio electionis futuri Regis Romanorum, super quo tibi per nostras litteras scripseramus, respondet, pridem recepimus, quas tibi interclusas præsentibus, nec non & earum copiam dicto Comiti Andegavensi specialiter destinamus. Datum in Laureomente prope Burdegallas, XI. Calend. Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

Citatio eorum qui Bonifacium Prædecessorem Pontificem Hæreseos accusant: anno 1308.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus servorum Dei, ad certitudinem presentium & memoriam futuram.

Dudum postquam, divina cooperante Clementiâ, fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, primò Lugduni & deinde Pictavis, cum nostra curia residentes, charissimus in Christo filius noster *Philippus Rex Francorum illustris*, zelo, ut credimus, & ipse promebat, fidei Orthodoxæ & devotionis accensus credensque Ecclesiæ statui plurimum expedire, Nos cum instantia requisivit, & id ipsum dilecti filii, nobiles viri, *Ludovicus natus clara memoria Philippi Regis Francorum Ebroicensis, Guido S. Pauli, & Joannes Drocentis Comites ac Gulielmus de Plasiâ miles*, qui contra Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum, quem dicebant in iabe pravitate hæretica decessisse, crimen hæreseos se velle imponere, & ad illud probandum sufficientes probationes habere, illasque coram nobis velle proponere afferebant: postularunt instanter, quòd ipsis videlicet nobilibus benignam audientiam exhibentes, ad recipiendas probationes hujusmodi, memoriamque damnandam ejusdem defuncti, justitiâ præviâ procedere curaremus. Nos verò quamvis de ipso, quòd de orthodoxis parentibus, & Catholica patria traxit originem, ac in curia Romanâ, pro majori

ANNO
1308.

IX.
Ex Cod.
Leibnizii
Tom. II.
pag. 300.
Mant.

